Beneuolo Lectori.

INciderant fortè in manus nostras Ioannis Præuotij quædam opuscula, veluti è naufragio incolumia in cōspectum sese mihi tandem dediderunt, quæ cum curiosulis legerem oculis, & degustare cœpissem, non potui, quin exclamarem, nephas esse tanto Artis thesaurus diutiùs in tenebris delitescere. Quare ipsemet mecū cœpi de libro in lucem edendo cogitare, cumque mihi opportunitas sese obtulerit non illiberalis, Magistri manibus litare, & eius immortalitati consulere placitum est, eoque libentius hoc negotium complexus sum, quod medicinæ studiosis operæpretium magnopere me futurum in animum induxi.

Hanc mecastor prouinciam olim Iacobus VVecherus & Otho Brunfelsius suscepere, & hoc argumentum tractarunt, sed quam sobriè, nè dicam oscitanter, viderint

alii.

alii. Hoc certè affirmare ausim, neque Othonem, neque VVecherum Præuotio esse conferendos, nedum præferendos, siue scribendi elegantiam, siue doctrinam, siue praxim spectes.

Porrò singulis capitulis prefixã videbis præfatiunculam, qua nec præclarius quicquam, nec eruditius optare possis. Singula verò tam miro ordine disposita sunt, vt vel hinc sit dignoscere, quanta fuerit viri sapientia. Non diffiteor, hunc librum cultiore ornato prodiisse, si ab Authore vltimam suscepisset manum, attamen nil desiderari videtur, quod ad solidam doctrinam, rectumque medendi attinet vsum. Quare hilari vultu Lector hunc librum in sinu foue, quem in Enchiridion ideò redegimus, vt facilè circumferri possit. Vale.

TETRASTICHON.

Quisquis Apollinea dii escere curat in arte
Huc petat, & studio lilia nostra legat.
Pharmaca, quæ sapiens olim Panacea notauit.
Experiente manu, continet iste liber.

Index